

hos Luppiæ Paderæq; fontes de summa rei tractare; atque ut Cæsares Romani bella, ita Carolum Regem Christianæ religionis salutaria consilia conventusque populi agitare. Capiebatur Rex loci amœnitate, agrorum fertilitate, & fontium salubritate. Et poterant Carolum non dissimilia Paderbornæ, quæ Aquisgrani oblectamenta invitare; quòd in tota Saxonia Germaniaq; non repertus locus, quem natura fontium è terra proficientium multitudine, & aquarum salubritate amœniorem dederit. Cœpit à frequentia hac accessuq; Caroli Regis vicus circa Paderam excoli in oppidum, in quod Carolus Episcopi sedem transferret.

Francorum
paf-
fam à Sax-
onibus
cladem

Multorum
rebellium
supplicio
Carolus
ulciscitur.

His jam pacatè prosperèque ad fontes Luppiæ transactis, relictisque Sacerdotibus & Pastoribus, qui rudem populum Christianam legem docerent, Carolus cum aula & exercitu in Franciam se retulit; tanquam securus de Saxonia regno Franciæ partâ; nescius interim, quæ tempestas superioribus multò sævior immineret. Vix dum enim transmissis Rheno è Westfalia excefferat Rex, cum Widekindus è Dania Nortmannorum copijs instructus in Saxoniam advolat, concitatoq; procerum & populi animos ad defectionem compellit. Fortunâ etiam adjutus, majores Spiritus gerit: nam quas Carolus Adalgiso, Geilone & Wolrado ducibus miserat copias adversus Sorabos Sclavosque, Saxonum fines transgressos ac depopulatos, eæ ducum temeritate Visurgim transgressæ in Widekindum movent, quem haud procul Mindâ rebellium suorum castra posuisse didicerant. Conferto præcipitantiùs quàm cautiùs prælio, cæduntur foeda clade Franci; interempti legatorum duo Adalgisus & Geilo: Comites quatuor: ex nobilitate proceres xx. ceterorum haud levior jactura cædesque. Quæ ubi ad Carolum relata sunt, exacerbatus exercitum per omnem festinationem contrahit, Rhenumque ac Visurgim transmittit, castris ad Aleram fluvium positis; ubi accitis ad se primoribus Saxonum, in auctores defectionis inquit. Et hi cum Widekindum auctorem concitoremque proclamarent, ad Nortmannos rursus profugum; non acquievit Rex; & quatuor millia quingentosque rebellium Saxonum, qui Widekindo se junxerant, uno in loco super Aleram flumen unâque die capite plecti jussit. Locus supplicij Ferde consignatus in annalibus Francorum, quem haud multò post sedem Episcopi Verdensis esse voluit. Durum & inexpectatum à miti Rege judicium, quod perfidia gentis toties perjuræ expressit, ceteris in exemplum, ne clementiam toties expertam impunè ludificarent. Quibus in præsens peractis, quòd annus in hyemem processerat, Rex Theonis villam cum milite concessit ad hiberna, ubi & Natalem Christi & Pascha ritu Christiano coluit.

Annus